



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XIII. Quid sit opinio probabilis? quomodo hanc nonnulli studeant
reddere certam regulam morum? quanta contentione hæc quæstio
agitetur? quid prænotandum sit ad ipsam solide diluendam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

etiam operatur cum conſcientia ancipiti ac dubia, communi conſenſione impru- denter agit, & peccat. Ad conſcien- tiam itaque probabilem gravis contro-

verſia reſtringitur; quam proximo ca- pite explicabimus enucleatius, poſt- hac curabimus dirimere, & compla- nare.

C A P U T XIII.

Quid ſit opinio probabilis? quomodo hanc nonnulli ſtu- deant reddere certam regulam morum? quanta contentione hæc quæſtio agitetur? quid prænotandum ſit ad ipſam ſolide diluendam?

S U M M A R I U M.

1. Quid ſit opinio probabilis.
2. Opinio probabilis debet niſi fundamento magni momenti, fixo, & firmo.
3. Diſcrepantia inter opinionem & dubium.
4. Aliud eſt probabile comparatè ad mentem, & aliud probabile in ſe.
5. Probabilitas deducitur ex ratione, & aucto- ritate.
6. Eſt numerus Magnus Probabiliſtarum, eſt tamen æquè magnus Adverſariorum.
7. Varii Auctores reſcenſentur pugnantes con- tra probabilitatem.
8. & 9. Reſutantur aliqui Recentiores.
10. Notandum 1. Omnem opinionem ortum ducere ex ignorantia.

11. Notandum 2. Ex duabus inter ſe pugnan- tibus opinionibus una eſt vera, altera falſa.
12. Notandum 3. Non licet ſequi conſcien- tiam dubiam hæſitantem.
13. Notandum 4. Probabiliſtæ diſtingunt in- ter dubium ſpeculativum, & practicum.
14. Quomodo cum dubio ſpeculativo ſit Ju- dicium practicum moraliter certum.
15. Quomodo Judicium ſpeculativum anceps liberetur ab hæſitatione. Via 1ma.
16. Via 2da.
17. De periculo peccandi materialiter, non autem formaliter.

I.
Quid ſit opi-
nio probabi-
lis.

PROBABLEM opinionem nos paulo ſupra hæc definitione circumſcripſi- mus: *Probabilis opinio illa eſt, quæ gravi quidem momento innititur, ſive quæ ducitur ratione aliqua, vel auctori- tate minime ſpernenda, ſed penitus non excludit oppoſita partis formidinem.* Eſt vero definitionem iſtam ſola nomi- num perceptio ſatis declarat, nonnulla pro ejus explicatione ſunt obſervanda. Exiſtimarunt quippe complures ſufficere ad opinionis probabilitatem, ſi innixa ſit rationi vel auctoritati alicujus mo- menti, quamvis pertenuis ac levis; ut liquet ex definitione tradita ab Antonio Eſcobario Exam. iiii. de Conſc. cap. 3. *Probabilis ſententia dicitur, quæ ratio- nibus innititur alicujus momenti.* Ex qua definitione fas eſſet ſequi ſententiam unius tantum Doctoris, dummodo gra- vis & probi, ut ibidem Eſcobarius affir- mat, & Sanctius in Summa lib. i. cap. 9. Adverſus definitionem illam non ſolum inſurgit Auctor Epistoliarum Provincia- lium Ep. v. & qui ſub nomine W endro- ckii Notas iſdem Epistolis addidit; verum etiam Joannes Sinnichius cele- bris Doctor Lovaniensis lib. i. Saulis Ex-Regis cap. 94. alique Antiprobabili- ſtæ omnes, præſertim præpoſitus Socie- tatis Jeſu Thyſus Gonzalez Diſſ. i. §. 2. ubi ait definitionem hanc aperire ja- nuam magnæ relaxationi, & laxitati.

Neque verum eſt quod ſcribit Auctor ſpeciminis Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis P. iv. cap. 2. Ludovi- cum Montaltium in probroſis Epistolis prædictam definitionem è ſola Hispania veſtigaffe, ibique ab uno Eſcobario pa- rum ſcrupuloſe fuiſſe traditam; quid- quid enim ſit de Montaltio, cujus con- vitia rationemque ſcribendi nequaquam probamus: fatetur Gonzalez eandem definitionem ſatis eſſe communem, eamque nobis ex recentioribus exhibuit Tamburinus definiens opinionem pro- babilem lib. i. Decalog. cap. 3. §. 3. *Opinio probabilis eſt aſſenſus intellectus de aliqua re, qui innititur rationi, vel auctoritati alicujus momenti, modo ex altera nihil appareat convincens.*

At Probabiliſtæ alii animadvertentes, quam latam hæc definitio erroribus viam ſternat, eoquod ea ſtatuta fas eſſet eli- gere quicquid apparet verifiſimile, eam erigere ſtudentes docuerunt requiri ad opinionem probabilem, ut nitatur fundamento magni momenti, fixo, fir- mo, non ſophiſmati alicui, aut rationi duntaxat apparenti: quod colligitur ex Terillo & Eſparza proximo §. laudati à Thyſo Gonzalez, & ex Joanne Fer- rier Tolofano, quem exagitat citato lo- co W endrockius. Atque ex his con- ſtat nos congruam tradidiſſe probabilis opinionis definitionem. Grave autem cen-

2.
Opinio pro-
babilis debet
niſi funda-
mento ma-
gni momen-
ti, fixo &
firmo.

cenfetur, aptumque ad faciendam probabilitatem momentum, quando id videtur omnibus, aut pluribus, vel sapientioribus, & iis vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis, & illustribus, auctore in 1. Topicorum Aristotele: & si loquamur de iis, quæ ad fidem moresque pertinent, ut sit probabilis opinio juxta S. Patrem Augustinum in lib. vii. de Baptismo contra Donatistas cap. 53. num. 102. requiritur, ut saltem probeatur aliquo diocesano Concilio, & judicari possit ex definitione Concilii plenarii, ex sacris literis, ex sanctis Ecclesiæ Patribus, atque ex aliis Christianæ doctrinæ munimentis, ita, ut progrediendum non sit aliqua temeritate sententiæ, ubi munimenta hujusmodi non habentur. Videatur Christianus Lupus Dissert. de Opin. Probab. cap. 2. Verum ex allata definitione, quaecunque grave momentum censeas, refellitur doctrina illorum, qui commonstrare nituntur fas esse amplecti opinionem probabilem in alterius æque probabilis, aut probabilioris occurfu. Si enim menti obversetur adversa opinio, quæ sit probabilior, ea gravioribus momentis erit dubio procul innixa: si æque probabilis sit, debet consimili ratione vel auctoritate fulciri; ideoque opposita opinio desinet esse probabilis, cum nequeat æstimari firma, ac stabili innixa fundamento sententia illa, cui adversatur altera æqualis, vel majoris momenti. Enimvero nullum pondus, saltem comparative, grave poterit æstimari, cui simile, aut gravius contranitur. Atque hinc est, quod Probabilitatis, sive benignæ, ut inquit, sententiæ patroni coguntur principio pugnancia absurdaque deglutire; quoniam receptâ definitione, quam tradunt, nequit censi probabilis illa opinio, cujus momenta possunt æqualia aut graviora elevare aut elidere.

3. **Discrepantia** inter opinionem ac dubium. Ut ex adverso Probabilistæ valide secedere opinionem inter ac dubium discrepantiam. Ac dubium, quod fatentur non esse conscientiam certam regulam, ajunt adesse, quotiescunque animus inter rationes ejusdem ponderis pendet anceps, uti & nos affirmavimus paulo supra: assensum autem opinativum illum dicunt, qui procedat ex cognitione majoris convenientiæ prædicati cum subiecto in una parte contradictionis quam in altera. Ita Gabriel Vasquez 1. 2. disput. 62. cap. 3. Et recte quidem; nisi enim major illa convenientia percipiatur, deerit momentum illud grave, quod necessarium fatentur ad faciendam

probabilitatem. At hic rursus hæret aqua: cum nequeat dari istiusmodi assensus, quo mens judicet in una potius parte, quam in altera prædicatum convenire subiecto, dum simul animum pulsant oppositæ opiniones æquis suffultæ momentis. Alii distinguunt inter dubitationem speculativam, & practicam; quod an jure, & qua utilitate faciant, erit postea inquirendum. Quamplures vero, cum optime perciperent in plurium opinionum conflictu animum hæere suspensum, curarunt difficultatem omnem dirimere, præsidio judicii reflexi; quo mens utrâque opinione librata censet unam atque alteram esse probabilem: atque posse hoc judicio conscientiam dirigi recentiores casuistæ consentiunt. At videndum est, an judicium istud reflexum, quod sane comparate ad objecta est ratum ac firmum, & absque ulla hæsitacione pronuntiat utramque opinionem esse probabilem; sit etiam comparate ad mentem rationalem talis efficaciam, ut possit per illud omnem fluctuationem deponere, ac pro libitu unum aut alterum agere; cum nobis potius videatur eodem judicio quemadmodum statuitur utriusque partis probabilitas, ita conscientiam vehementius angere, & quodammodo admoneri, ne inconsiderate eligat quod potest esse iniquum atque inhonestum. Tantummodo videntur hæc reflexiones (inquit Eminentissimus Aguirre) hominem placendi Deo & salutem consequendi cupidum hortari quammaxime; ut præjudiciis exutus sedulo veritatem inquireat, consulatque Scriptores Catholicos, ut re majori in lumine collocata ac dubitatione deposita elicere valeat judicium moraliter certum, atque eo pacto absque conscientiam agitatione operari.

4. Priusquam de his pronuntiemus: constat ex allata definitione institui controversiam de eo, quod probabile est operanti, sive comparate ad mentem à qua elicitur judicium practicum; non de eo, quod est probabile tantum in se, atque spectata intrinseca ratione sui. In re quippe illud tantummodo probabile est, quod est verum; quoniam, verum duntaxat habet firmum, ex quo legitime inferatur, momentum. Quamobrem Philalethes, sive anonymus Auctor libri, qui inscribitur, *Triumphus Thomistarum*, Opusc. v. cap. 3. num. 79. Cerne, inquit, cordate lector, quantum incautos decipiant Probabilistæ, dum eam sententiam prædicant probabilem, quæ non innititur sophismati, sed gravi, solida & magni momenti rationi, quæ non evi-

Aliud est probabile comparatè ad mentem, & aliud probabile in se.

denti rationi vel auctoritati Scripturæ, Conciliorum, Pontificum evidentem repugnet. Certum eſt ſententiam falſam à parte rei non poſſe probari per rationem, quæ ſit à parte rei vera; etenim vero non poſteſt connecti niſi verum, & ideo nec ex vero poſteſt ſequi, niſi verum; unde quidquid legitime inferitur ex vero eſt etiam verum: ut patet ex Summulis. Nulla ratio falſa poſteſt à parte rei eſſe gravis, ſolida, & magni momenti; cum ergo Probabiliſtæ plurimas ſententias dicant probabiles, quæ à parte rei falſæ ſunt (ſiquidem ex duabus contradicitoriis & probabilibus una debet eſſe à parte rei falſa) neceſſe eſt, ut per rationem gravem, ſolidam, & magni momenti, non intelligant, eam quæ ſic eſt à parte rei, ſed quæ ſic videtur probantibus eam. Ratio autem quæ videtur gravis & non eſt, quæ videtur ſolida & revera non eſt, verum ſophiſma eſt, id eſt apparens veritas, & vera falſitas. Similiter dum à ſententia probabilis excludunt evidentem repugnantiam, non loquuntur de repugnantia, quæ ſit à parte rei evidens, ſed quæ ſic videatur à probantibus eam: eſt enim à parte rei evidens, omne falſum contrariari alicui rationi, & auctoritati. Hæc, & alia multa eo loci Philalethes, & ibidem laudatus Epicoſopus Venciſis, cujus hæc ſunt verba: Addunt quidem illi (Probabiliſtæ) nonnunquam rationes quibus nituntur opiniones probabiles ſolidas eſſe debere, nec ullam probabilitate donandam, niſi quæ non repugnet Scripturæ ac Traditioni. Verum hæc conditiones nihil aliud ſunt, quam laquei irretiendis, deludendisque ſimplicioribus inſtituti. Non enim per ſolidas illas rationes eas intelligunt quæ veræ ſint; nulla enim veræ rationes inveniri poſſunt ad ſtabiliendas opiniones falſas, quibus certe accenſeri debet magna probabilitum opinionum pars, quæ cum ſibi invicem adverſentur, ſimul veræ eſſe non poſſunt. Has ergo illi ſolidas vocant, quæ ſolidæ probantibus videntur. Hoc vero omnibus ſine exceptione erroribus convenit. Nec enim quicquam ullum tuetur errorem, qui non ſolidas in iudicando rationes ſequi ſibi perſuadeat, &c. Eſt autem ego aribtror ab omni decipiendo animo Caſuiſtæ omnes immunes, neminem quippe adeo improbum eſſe cenſeo, ut ſcienter puſillorum animabus retia ſummittat; id tamen certiffimum puto, diſputari de opinione probabili, in quantum talis menti operantium apparet: hac enim ratione ſpectare poſteſt ad conſcientiam, rerumque agendarum diju-

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

dicationem, cum nihil ad operandum voluntatem alliciat, niſi prout ei proponitur aut legitima, aut ficta bonitate veſtitum. Atque id ſignificaverunt Scholaſtici appoſitione harum, vel ſimilium dictionum, *An liceat ſequi opinionem probabilem, quæ talem.* Fateor etiam aliquando conſcientiam falſam eſſe à culpa prorfus immunem, ſi tali ignorantia laboret, quæ non ſit libera ac voluntaria, & aliunde ipſa conſcientia ſit præctice certa: quod iterum moneo, ne inſectando Probabiliſmum incidamus in caſtes hæreticorum. Num vero ſit præctice certa illa opinio, quæ eſt modo explicato probabilis, id eſt, habet in mente operantis grave aliquod momentum auctoritatis vel rationis, iſtud erit velitationis huius ſubjectum.

Ex duplici itaque capite deduci poſteſt alicuius opinionis probabilitas, ex ratione nimirum, atque ex auctoritate: non ex ratione manifeſta atque irrefragabili, neque ex auctoritate Divina nobis aut ſcriptura, aut traditione, aut Eccleſiaſticis definitionibus certiffime nota; illa quippe manifeſta ratio ſcientiam parit, & hæc explorata auctoritas fidem generat: ſed ex ratione, cui poſteſt ſubſiſſe falſum, & quæ conjunctam habet aliquam animi trepidationem, & ex auctoritate Scriptorum ob ſententiarum diſcrepantiam, & perplexas quibus ducuntur argumentationes, nonnunquam obnoxiorum errori.

Si ſolus attendatur Scriptorum numerus; tamenſi Aſſertores Probabiliſmi turbam faciunt maximam, ita, ut quinquaginta enumeraverit Julius Mercorus, permultos addiderit Terſillus, plurimosque ediderit ætas poſterior; puto tamen ſtare ex adverſo æque magnam ac florentiffimam multitudinem. Hanc Gennetus & Guerrerus noſter indigitant, qui tamen plures etiam doctrina & celebritate clariffimos prætermittunt. Certiffime Probabiliſmo bellum indicunt poſt veteres omnes, ut à Noſtratibus exordiar, viri percelebres Lambertus Le-Drou Epicoſopus Porphyrienſis, Ignatius La-Zerda Epicoſopus Aquilanus, Chriſtianus Lupus, Henricus Norſius Cardinalis Ampliffimus, Franciſcus Fer-vacques celebris Profeſſor Lovaniſis, Joannes Schweitzerus Docteur Colonienſis, quorum meminit in Ratione Operis ſui præmiſſa Hiſpaniarum Concillii Eminentiſſimus Aguirre. His acceſſere Bartholomæus Riccius, Fridericus Gavar-di, Leonardus Vanroy, Nicolaus Gircken, Aurelius Piette, Joannes Li-bens, Fulgentius Bellelli, Antonius

5.
Probabilitas
deducitur ex
ratione, &
auctoritate.

6.
Eſt numerus
magnus
Probabiliſtarum,
eſt tamen æque
magnus ad-
verſariorum.

Guerrero, & si Gibbonem & Salonium excipias, omnes, quotquot ad manus meas pervenerunt. Ex sacro Fratrum Minorum instituto laudari possunt Subtilis, ut vocant, scholæ Doctor ac Princeps Joannes Scotus, Divus Bonaventura, Cardinalis de Laurea, Corduba, & alii. Ex amplissimo Prædicatorum Ordine laudat ibidem Aguirre Joannem Martinez, Julium Mercurum, Vincentium Baronium, Picinardum, Gonetum, Contensonium, & Natalem Alexandrum. Commemoratur ex Monastico Divi Benedicti Ordine Mabilionium, Gerberonem, Cardinalem Sfondratum, Facundum de Torres, Honriverum, quibus ipsum Cardinalem Aguirre jure meritoque accensimus. Addit S. Carolus Borromeus Cardinalem de Janſon, Archiepiscopum Parisiensem Harlai, aliosque complures. Ex illustri amplissimaque Societate Jesu, quosdam paulo infra producam. Interim, cum necessarium minime sit, ut singulos persequamur, legi poterunt qui hanc provinciam susceperunt Scriptorum catalogum contexendi, ex quibus facile inferre possumus magnum hinc, inde numerum decertare.

7. Varii auctores recensentur pugnantibus contra Probabilitatem.

In horum sane complexu quædam spectanda sunt, quibus attentis videntur mihi etiam ex hoc capite Antiprobabilitatis majorem accedere auctoritatem. Ac primum adversus eos, qui probabilitatem propugnant, acerrime insurgunt docti viri, qui de Theologicis Controversiis scripserunt absque ullo partium studio, nec jurarunt in verba magistri, & quod summopere commendandum est, probaverunt quidquid sibi visum est subnixum momenti validioribus. Hujus generis sunt, ut nonnullos producam, Nicolaus Le-Herminier, Ludovicus Habert, Antonius Charlas, Philaletes, Merbesius, Gennetus, Auctores summæ Theologiæ Moralis ad usum Seminarii Petrocorentis, earumque quas edi curarunt Eminentissimi Principes Grimaldus Episcopus Aquisgranensis, & Le Camus Episcopus Gratianopolitanus. Videntur præterea in eandem sententiam conspirare celebriores Christiani Orbis Universitates: quippe ex sola Lovaniensi numerantur ab Auctore Speciminis Doctrinæ Theologiæ, Joannes Sinnickius, Jacobus Pontanus, Franciscus Vanvianen, Gerardus Vanwerum, Lambertus Vincent, Joannes Recht, Gummarus Huygens, Laurentius Neessen, quos omnes eadem ferme ætate certum est floruisse. Universitas etiam Parisiensis, quamquam nonnulli Sorbonæ Doctores sententia nunc distrahantur, anno 1665, die 21.

Junii hanc propositionem, *Agendi regula proxima conscientia est. Probabilem sequi tuto licet, etiam probabiliori posthabita*, sequenti censura confixit, *Hæc propositio quoad secundam partem generatim sumpta, quatenus, ad omnem probabilitatem, & casum extendi potest, falsa est, temeraria, & in varias morum corruptelas inducens.* Est autem sententia oppugnans Probabilissimum ab omnibus fere Parochis, & Episcopis Gallicanis, ac majori Theologorum numero, nulla habita ratione eorum, qui deterioribus partibus student, communi plausu recepta. Insuper doctrina, quæ invehitur adversus opinionem probabilem nullam unquam subiit censuram, nisi forte à Janſenianis falso circa ignorantiam dogmate contaminata. At sententia Probabilistarum dicitur à Paulo Comitolo lib. v. Resp. Mor. q. 15. *fæda prolapsio*, & notatur plurimis Episcoporum censuris tanquam falsa, periculosa, viamque sternens innumeris corruptelis. Collegere censuras istiusmodi Merbesius in Summa Christiana P. 1. q. 36. & Antonius Charlas de Opinione delectu cap. 17. Nonnulli quoque in Probabilissimi defensionem editi libri experti sunt tristem adversamque fortunam, ut Apologia Casuistarum tot per Gallias animadversionibus conficta, Opus Guimenii à S. Facultate Parisiensi proscriptum, & damnatum ab Alex. VII. Apologema Caramuelis adversus præclarissimum Jurisconsultum Fagnanum. Ad hæc Theologi omnes, ut inquit initio Operis de recto usu opinionum probabilium Thyrsus Gonzalez S. J. Generalis Antistes, usque ad annum 1571. semper docuerunt tutiorem partem esse tenendam: atque Paulus Comitolus citato loco affirmat, id præsertim tradidisse Henricum Gandavensem quodl. 1v. q. 33. Gersonem Tract. 36. art. 10. D. Antoninum 1. P. tit. 3. cap. x. §. 10. Adrianum in qq. de Restit. q. *Jam dictum*, Cajetanum in Summa v. *Opinionis usus*, Sotum in 111. lib. de Just. & Jure q. 16. art. 5. Sylvestrum verbo *Opinio*, q. 2. Angelum, Navarrum, Tabiensem, & alios, uno excepto Armilla; de quo etiam aliter quam Comitolus, censet Charlas, hæc illius recitata sententiâ, *In operandis vero, ubi sunt opiniones, semper tutior pars est eligenda, ne quis exponat se periculo ambiguitatis & consequenter peccandi.* Ita Armilla v. *Opinio*. Excusum autem fuit Opus Comitoli primum Lugduni anno 1609. Atque ex his apertissime constat inter omnes Probabilissimi defen-

defensores nullum commendari ob venerandam antiquitatem: ideoque conſueverunt ſemper Probabiliffimæ juniorum Scriptorum doctrinam magnificare. Inſuper nec unus poterit adinveniri, qui ſententiam oppoſitam paobabiliffimo deſeruerit, poſtquam illam fuerit ſemel amplexus: quod merito dixit Gonzalez diſſert. XIII. pag. 219. num. 85. magnum veritatis argumentum. At ſententiam, quam benignam vocant, retractarunt permulti poſt plenam atque accuratiſſimam diſcuſſionem. Retractavit ſupra laudatus Eminentiſſimus Aguirre ſcribens num. 31. quod ipſe communi fere ſenſu, & præjudicio adductus in probabiliffimo velut in pulvino molliter quieſcebat: ſed ſeq. num. 33. inquit: Cæpi itaque rem maturius examinare ab anno circiter 1671. uſque modo, lectis ac relectis pluribus auctoribus, qui hinc & inde controverſiam hanc graviffimam proſtigarunt ex inſtituto. Deprehendi vero ingens periculum ſaluti in ſectando, aut conſulendo aliis Probabiliffimo, ſive uſu cujuſlibet opinionis minus probabilis faventis libertati in concurſu alterius probabilioris adhærentis præcepto. Idem mihi alta inſedit, ubi utraque apparet probabilis æque aut circiter: manet enim res adhuc vere dubia, & incertum omnio, an actio vel amiſſio ſit contraria legi æternæ, necne: quidquid plerique recentiorum diſtinguant inter dubium ſpeculativum & præcticum; hanc enim diſtinctionem quoad controverſiam præſentem plurimi alii à triginta circiter annis uſque modo doctiſſime rejecerunt. In dubiis autem, & ſpectantibus ad æternam ſalutem, eligendam eſſe tutiorem partem jura clamant, & prudentia, & lex caritatis Divina, de propria, & aliorum ſalute palam dictat. Stererat pariter acerrime pro ſententia Probabiliſtarum Cardinalis Pallavicinus, ſed illam retractaſſe demonſtrat Gonzalez laudata diſſert. XIII. num. 76. Gonzalez ipſe in Operis ſui Introductione num. 40. de ſemetipſo inquit: Poſtquam accurate legi quidquid benignioris ſententiæ doctores pro ſe, quidquid contra ipſos adducerent ſeverioris ſententiæ defensores, poſt exactam totius controverſiæ diſcuſſionem, quamvis fuiſſem contraria ſententiæ principis aſſuetus, meo tamen firmiter inſedit animo, manſitque inſixum. . . . nulli permiſſum eſſe amplecti ſententiam minus tutam in occurſu tutioris æque vel fere æque ſibi veriſimilis; atque adeo ad uſum licitum opinionis minus tuta neceſſarium omnino eſſe, quod poſt diligentem veritatis inquiſitionem

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

ipſa citra paſſionem & culpam appareat operanti ſenſibiliter & clare veriſimilior oppoſita, atque hac de cauſa ab ipſo judicetur vera judicio abſoluto determinato. Non defuerunt ergo Auctores graviffimi, qui re mature ac diligenter excuſſa Probabiliffimum, ut vulgo defenditur, retractarunt.

Hinc rejicitur plurimorum Recentiorum confidentia, quâ innumeros nobis Doctores obtrudunt, eos maxime, qui Moralem Theologiam poſtremis ſæculis exornarunt. Ab his initio petimus, num probent Pii II. in Epiftola ad Ludovicum Galliarum Regem monitum illud perutile: Scriptura, quæ ait, Ubi multa conſilia, ibi ſalus, conſiliorum multitudinem non requirit, ſed maturitatem & digeſtionem; quæ res in paucis, quam in multis facilius invenitur: neque enim honeſtas & juſtitia multitudini facile ſuadetur; quæ variis affectibus agitata ad pejora frequenter inclinât. Colluſtrat documentum iſtud lege Juſtinianeæ, atque exemplis Jeſuitæ Comitoliſ pagina Reſponſorum Moralium 653. Querimus inſuper, ſine Probabiliſmi propugnatoribus major doctrina, major ſanctitas, major in Eccleſia auctoritas; quæ tria in Scriptorum numero ſunt apprime inquirenda. Petimus etiam, ut Probabiliſtæ in medium proferant Eccleſiæ Patres, Canones Conciliorum, ſtatuta Pontificum, necnon antiquos celebresque Scholaſticos, qui floruerint ante annum 1570. Interrogamus etiam, an Probabiliffimum retractaverit præclarus aliquis Scriptor ex illorum numero, qui illum probarunt, adhibito ſtudio, & re diligenter diſcuſſa. Id etiam ſcire percupimus, an habenda ſit ratio Auctorum illorum, quos diximus pugnare ex adverſo: & ſi reſpondeatur nihili hos faciendos, optamus ut nobis reddatur cauſa; an fuerint morum corruptores, an à Sede Apoſtolica hoc in eis dogma fuerit proſcriptum, an ex illorum perceptionibus ſcaturierint morum laxitates, an impetiti ſint cênſura aliqua, à qua ſe purgare nequiverint. Poſtremo quoniam humanæ auctoritati debent præferri ſacræ literæ, & monumenta reliqua veritatis firmiſſima, & inconcuſſa; hoc nobis eſt demonſtrandum, ſubverti munimentis hujusmodi Scriptorum, quos ſequimur, auctoritatem. Quod ſi Probabiliſtæ proferant tantummodo Auctores poſteriorum ætatum, reſutatos à multis, à ſuis quoque partibus diſjunctos, ductosque vel præjudicio aliquo, vel parum conſiſtente momento, noverint ſententiæ ipſorum

8.
Refutantur
aliqui Recentiores.

quamlibet Recentiorum multitudinem nihil afferre posse adjumenti.

9. Confirmatio
refutationis,

Recensere quidem potuerunt venerabilis Societatis Jesu Scriptores plurimos, etiam eximium Concionatorem, virumque egregium Paulum Segneri seniore, qui de hoc argumento elegantissimam conscripsit Epistolam, non enim nos de hujus auctore aliter sentimus, quam juxta nominis inscriptionem. Verum nec Jesuita omnes Probabilissimum sectantur. Dixi de Paulo Comitolo, de Cardinali Pallavicino, & de Thyrso Gonzalez. Bellarminus in Epistola ad nepotem suum Episcopum Theanensem hæc habet: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omnino debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nullaratione, nullius imperio, nulla temporali auctoritate proposita ad minus tutam partem declinare. Agitur enim de summa re, cum de salute aeterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conscientia non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguatur.* Afferunt gravissima hæc Bellarmini verba Thyrsus Gonzalez, & Cardinalis Aguirre, una cum Epistola Mutii Vitelleschi Præpositi Generalis data anno 1617. pridie nonas Januariæ. Testatur idem Gonzalez oppugnari Probabilissimum à Ludovico Molina, Ferdinando Ribello, Andrea Blanco, atque hunc omnium primum adversus Probabilistas strinxisse calamum. Addere possumus Franciscum Cardinalem Toletum, Dominicum Nunnez in Regula honeste vivendi, Adamum Eherentreich de licentia Actionum Moralium, Aegidium Estriz in Logistica Probabilitatum, aliosque bene multos. Istos vero, præsertim Bellarminum, Pallavicinum, Toletum, Comitolum, & Gonzalezæquiparare possumus Jesuitis cæteris universis. De Pauli Segneri Epistola nihil habeo aliud, quod valeam pronuntiare. Illam refutavit Ballerinius eruditus, disertusque Presbyter Veronensis: neque hujus argumenta frangit Epistola Anonymi ab eodem Auctore postremis dissertationibus vellicata. At plura de iis, quæ pertinent in hac quæstione ad auctoritatem numerumque Scriptorum dicta sunt hæcenus. Proferenda ergo sunt, quæ ad percipiendam vim & efficacitatem rationum ducimus præmittenda.

10. Notandum, Omnem opinionem ortum ducere ex ignorantia.

Ac principio prænotandum est omnem opinionem, quatenus plenam scientiam, judicii que firmitatem excludit, ortum ducere ex ignorantia. Liquet id ex quo principia, quæ certa sunt ac perspicua, & quorum connexio cum enunciationibus inde illatis similiter manifesta est, non opinionem generant, sed scientiam; quemadmodum si auctoritatem habeant Divinam atque irrefragabilem, & excedant notitiam naturalem, rationemque communem, nec opinionem pariunt, nec scientiam, sed fidem. Atque id affirmat D. Bernardus scribens in vi. de Consid. cap. 2. *Intellectus rationi innuitur, fides auctoritati; opinio sola verisimilitudine se tuetur.* Et Tertullianus libro ad Nat. cap. 2. *Varietas opinionum, inquit, venit ex ignorantia.* Revera in Deum, quem nihil latere potest, nulla cadit opinio, nulla que judicii hæsitatio: nos contra diversis opinionationibus trahimur, idque evenit non in perse notis, quorum eandem habemus singuli perceptionem, sed in abstrusioribus & reconditis, quorum causam ignoramus. Propterea in primo homine condito cum participatione lucis aeternæ, nulla que decepto falsitatis imagine, nullam extitisse opinionem errori subiectam, scite & luculenter demonstrat Q. xvi. de Veritate a. 6. Doctor Angelicus: ubi etiam probat opinionem semper esse cum inordinatione aliqua conjunctam, quoniam inordinatio est, quotiescunque intellectus, cujus objectum est verum, seclit in aliquam partem à verisimili. Hæc quidem Doctrina Augustiniana est; nam S. P. in libro de Utilitate credendi cap. xi. num. 25. affirmat, *tria esse veluti finitima sibi in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, & opinari: quæ si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio.* Ignorantiam vero, ex qua nascitur opinatio, esse animi vulnus, atque poenam peccati, res est in Augustino adversus Pelagianos decertante literis expressissimis demonstrata. Itaque si quis opinionem probabilem sequatur, & ex duabus falsam eligat, videndum est, an tali ignorantia laboret, quæ possit illum à culpa excusare; si veram, querendum an scienter se exponat peccandi periculo: quod sane, præceptore D. Thoma Quodlib. vii. art. 13. reperitur, *quotiescunque operans non habet scientiam de contrario, & in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, & tenui ea dubitatione permanente operatur.* De

De ignorantia autem statutum est supra, invincibilem semper à peccato excusare, cum destruat voluntarii rationem: vincibilem autem esse damnabilem, si sit eorum, quæ scire debemus; juxta canones capituli XI. & receptam D. Thomæ doctrinam Q. 3. de Malo art. 8.

II. Notandum². Ex duabus inter se pugnantibus opinionibus una est vera, altera falsa.

Observandum præterea, ex duabus inter se pugnantibus opinionibus, quarum una præferat libertatem, altera vero præceptum, unam semper veram esse, aliam falsam. In exemplo sint hæc duæ enunciationes, *Licetum est in hoc peragendo negotio uti simulatione, &c.* Non est licitum. Impossibile est utramque propositionem esse simul veram, simulque falsam, si eadem ratio sit utriusque, idem objectum, eadem rei circumstantiæ, prout didicimus in vestibulo Dialecticæ, & ex communi notissimoque pronuntiato, quod idem nequeat simul esse, & non esse. Profecto in duarum opinionum conflictu, necesse est, ut utraque sit æque probabilis, aut una habeat majorem, quam altera probabilitatem; momenta enim, quibus innituntur, nisi æqualis sint ponderis, disparia erunt atque inæqualia, unumque pluris erit, ac ponderosius: ideoque disputari solet, num liceat sequi opinionem probabilem in occurso minus probabilis, num in concursu opinionis æque probabilis, num denique in concursu opinionis probabilioris.

Illud quoque advertendum est, non nihil interesse discriminis inter tutam ac probabilem opinionem: nam tuta dicitur opinio illa, quæ vitat omne peccandi periculum; probabilis quæ innititur haud levi auctoritatis vel rationis momento. Potest itaque contingere, ut opinio aliqua sit minus probabilis, & nihilominus magis tuta. Affert exemplum Gonet sententiæ D. Bonaventuræ, quod homo statim post lapsum teneatur ad confitendum lethalia crimina, si copia adsit Confessarii. Talis dicitur opinio eorum, qui putant mortale peccatum non recitatio Matutino cum Laudibus rem sacram peragere; aliaque rigidioris Moralis capita, de quibus nihil nostra interest in præsentiarum definire. Multæ tamen dantur sententiæ probabiliores simul, & tutiores, cujus generis sunt omnes illæ, quæ non solum amovent peccandi pericula, verum etiam habent momenta validiora: in Schola nostra sententiæ docentium inquirendam esse à Confessario peccatoris inolitam sceleris consuetudinem, & aperiendas circumstantias notabiliter aggravantes.

Insuper prænotandum est, nunquam licitum esse sequi conscientiam dubiam, hæsitantem scilicet, & in neutram partem protendentem, si ve quia nulla adsit assentiendi ratio, si ve quia utrinque occurrant rationes consimiles & æqualia momenta. Dubitatio enim est, inquit Q. XIV. de Verit. à I. S. Thomas, quotiescunque animus fluctuat inter duas partes contradictionis. Et quidem conscientiam dubiam non esse certam regulam morum, liquet ex illo axiomate: *In dubiis tutius est eligendum*; quod habetur in cap. *Ad audientiam*. Et cap. *Significasti*, De Homicidio. Cap. *Juvenis* De Sponsal. &c. Idem tradit Augustinus scribens in priori libro de Baptismo contra Donatistas cap. 3. *Graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret*. Proximoque capite 5. verba faciens de iis, qui Baptismum suscipiebant in parte Donati, *Quis dubitat, inquit, certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Quibus accedit ratio paulo supra ex Angelico Doctore deprompta, quod peccet quisque periculo peccandi se exponit: versatur autem in magno peccandi periculo qui opera exequitur, de quorum honestate animam non habet persuasionem. Enimvero si nemo prudens ac plane non stultus sumeret cibum vel potum, dum anceps esset an esset medicatum & venenosum; quis præcipiti consilio ea patrare debet, quibus veretur ne peccato inficiatur immortalis animus, cujus salus præferenda est corporis valetudini?

Sedulo autem hic animadvertendum est, Probabilistas distinguere inter dubium *speculativum*, & *practicum*, ut si Probabilistas probare niteris ex duabus oppositis opinionibus generari dubitationem, ideoque nefas esse ambabus simul confluentibus agere adversus illam, quæ stet pro præcepto, præsto sit subterfugium, quod dubium illud speculativum est, non practicum, & consequenter nequit conscientie rectitudinem labefactare. Dixi paulo supra Cardinalem Aguirre commone hanc distinctionem esse in præsentia controversia rejiciendam: quod num recte commonefactum sit, breviter rovocabo ad examen; pendet enim ex distinctione ista non solius questionis, in qua versamur, sed aliarum quoque plurimarum enodatio. Itaque dubium speculativum est, quod sistit in contemplatione veritatis; ut dum in problema te ignoramus quænam pars verior sit: practicum vero dubium est illud, quod

12. Notandum³. non licet sequi conscientiam dubiam hæsitantem.

13. Notandum⁴. Probabilistas distinguunt inter dubium speculativum, & practicum.

attinet ad rem peragendam. Ita Dialecticorum dubitationes speculatrices sunt, artificum practicae. An utrumque dubium ad eandem mentis facultatem pertineat, an potius unum ad intellectum, alterum ad voluntatem, nihil prorsus interest definire. Judicium speculativum, & practicum esse ejusdem potentiae docet S. Thomas 1. p. q. 79. art. 11. Sunt permulti, qui illud ad intellectum referunt, istud ad voluntatem. Nos repetimus utriusque iudicii discrimen ex objectis tantum, aut connotatis, quae etiam ratione duas illas animae facultates, mentem scilicet, ac voluntatem sejungimus. Conveniunt in hoc omnes, quod practicum iudicium prioris ductum sectetur: quare si iudicium speculativum dubium sit, etiam practicum ex dubitatione procedit; neque potest quispian in speculatione haesitans semetipsum ad agendum determinare, nisi aut praecipiti imprudentia, aut fluctuantis animi trepidatione.

14.
Quomodo
cum dubio
speculativo
stet iudicium practicum
cum morali-
ter certum.

Patroni opinionis probabilis, ut cum dubitatione speculatrice stare demonstrent iudicium practicum moraliter certum, confugiunt ad mentis humanae reflexiones, uti in praecedentibus innuebam. Hoc sane loco nobis accurata distinctione opus est. Porro si dum speculatio est anceps, & in rebus dijudicandis mens fluctuat, immutetur objecti circumstantia, accedatque momentum aliud alicujus ponderis; haud dubium, quin efformari tunc valeat iudicium practice firmum ac certum: verum certitudo ista nequaquam innitur reflexioni praecedentis dubitationis, sed reflexioni accedentis momenti, atque novae gerendarum rerum circumstantiae. Exemplis id explico. Haeret dubius vir Religiosus an liceat sibi jejunium frangere, vel à Choro discedere: praecipit illi Superior ut comedat, studiisque vacet; atque id faciendum censet iudicio practico, quod non ex praecedenti dubitatione habet firmitatem, sed ex accedente praeepto. Dubitat item creditor, num sibi fas sit agrum debitoris invito domino invadere: accedit ad forum iudicis, à quo accipit invadendi auctoritatem; & recte id licitum iudicat, huius tamen auctoritatis praesidio, non vi prioris fluctuationis. Anceps est colonus an jure praedium possideat, de quo lis pendet ambigua; at edoctus à Juriconsulto in possessione praediorum meliorem esse conditionem possidentis, ac neminem bonis quae possidet ob dubium aliquod esse expoliandum, nixus ille hoc principio tradito ab Augustino de

Fide & Op. cap. VII. jurisque regulis confirmato, practice certus evadit, & absque piaculo praedium retinet. Atque ita in exemplis compluribus ratiocinandum. Quod itaque stante dubio possit conscientia induere practicam certitudinem, si accedat nova aliqua ratio, aut immutentur circumstantiae, sive materia praeepti, verissima atque indubitata res est; atque omni procul dubio potest hoc pacto ex reflexione mentis antea perplexae fieri iudicium practicum moraliter certum, quod sit morum regula.

At persistentibus iisdem motivis, ob quae animus fluctuat, & dubius haeret an haec actio honesta sit, an turpis atque inhonesta, per nullum iudicium reflexum reddi potest moraliter certus de illius honestate. Ex quo enim fonte certitudo hujus iudicii manare potest, si iudicium speculativum, unde exoritur practicum, anceps est, atque incertum? Non potest excogitari nisi duplex via, quae animus ab illa haesitatione descendat in certitudinem istam, utraque contorta & fallax. Ac prima via est, ut, librata auctoritate, vel ratione iudicetur esse aequae probabile quod illa actio sit honesta, & quod sit inhonesta, quoniam utrinque gravia proferuntur momenta, atque hoc pacto nobis persuadeamus fas esse quod lubet, adeo ut non in dubiis jam haereat animus, sed in opinionibus, quarum utraque licita iudicatur. At falsum est, quod per iudicium reflexum de aequa probabilitate duarum opinionum oppositarum possumus efformare iudicium practice certum, atque ad formandos, dirigendosque mores idoneum. Dum enim arbitramur utramque opinionem esse aequae probabilem, persuasum nobis est utramque aequalibus momentis inniti: quod dum nobis est persuasum, quomodo exuere possumus praconceptam dubitationem? Certe id non possumus vi rationum ac momentorum, cum ex utraque parte haec nos confimili pondere trahant: sed tantum libera, noxiaque deliberatione, non ductum rationis confectante, sed sensum.

Altera via est, ut in concursu illarum inter se pugnantium opinionum excludatur, aut suspendatur iudicium de objecti inhonestate, ita, ut in una opinione animus acquiescat, de altera autem nihil habeat sollicitudinis: quod me iudice fieri nequit absque summa imprudentia ac perversitate. Principio enim haec iudicii suspensio annexam habet ignorantiam voluntariam, eamque turpem &

15.
Quomodo
iudicium
speculativum
anceps liberetur ab haesitatione.

Via 1.

16.
Via 2.

& damnabilem, quam Theologi appellant affectatam, quoniam parvipendens rationes oppoſitas, præſertim obvias, & peccandi pericula commonſtrantes, proſecto non vult intelligere ut bene agat, oculos ſibi met eruit ne videat, atque ait Domino rationis ſtimulos excitanti, *Recede à me, ſcientiam viarum tuarum nolo.* Quis autem ignorat, pernicioſe agere adverſus ſeipſum cor humanum, ut quod poſſit intelligere, ſi bona voluntas accederet, non intelligat, non quia difficile eſt, ſed quia voluntas averſa eſt? inquit Auguſtinus Enarrat. in Pſalm. xxxv. num. 1. Deinde qui non vult expendere momenta contraria, iſ nec prudens eſt, nec moraliter certus de operis honeſtate. Enimvero quòs, niſi omnino deſpiciat, exiſtimet certum eſſe, quod norit validis argumentationibus oppugnari? Præterea, ut aliquod proferamus exemplum ex humanis officiis depromptum, num prudens dicendus eſt miles, qui non timet hoſtis à tergo venientis inſidias? num prudens mercator, qui lucrum tantummodo, non damnum penſitat? num prudens iudex, qui deſenſoribus, non accuſatoribus aures præbet? Ex duabus quidem opinionibus invicem pugnantibus, ſi una honeſtatem, utilitatem, æquitatemque proponit, altera accuſatrix eſt, & crimen probrumque obſectat, atque ideo nequit iſta prudenter abjici, & absque ponderatione deponi.

17. De periculo peccandi materialiter, non autem formaliter. Prænotandum quoque eſt, Probabilis, ſi hac percellantur argumentatione, Neceſſum eſt ex duabus contrariis opinionibus unam veram, & alteram falſam eſſe, & conſequenter adeſt in earum diſcretionem periculum errandi, ac præcepta transgrediendi, illico reſponſuros, adeſſe quidem periculum peccandi *materialiter*, at non peccandi

formaliter: quam reſponſionem frequentiffime repetit Anonymus auctor Epistolæ vernacula lingua adverſus Ballerinium conſcriptæ, quaſi Antiprobabilis rancidulam illam conſectamque diſtinctionem nondum perceperint, aut nolint advertere. At quidquid ideæ, perceptionisque vocabulis iſtiusmodi inſit, indubitatum eſt illum peccare tam *materialiter*, quam *formaliter*, id eſt, ſemetipſum obſtringere criminis alicujus reatu, qui voluntarie ac libere præceptum transgreditur aut opere, aut omiſſione, neque habet ex parte hujus voluntatis libere præceptum transgredientis vel ignorantiam, vel impellentem neceſſitatem, vel motivum aliud invictum exculpationis. Atque id mortaliū neminem puto denegaturum. Si ergo lubeat aſſerere, quod ſit peccatum duntaxat *materiale* pravum illud opus, quod perpetratur absque uſu libertatis, vel cum ignorantia minime culpabili, ut homicidium commiſſum à phrenetico, concubitus Jacob cum Lia, atque alia facta hujus generis; annuam toto capite: nolo enim de verbis in re graviffima diſceptare. Quod ſit tamen peccatum, ut inquit, *formale*, peccatum imputabile ad culpam, peccatum denique animam innectens reatu, niſi aſſit ex parte voluntatis ratio aliqua excuſans; puto, inquam, neminem unum fore, qui neget. Quamobrem hoc inſinuare intendimus quotieſcunque dicimus vitandum eſſe peccandi periculum; etiamſi non exprimatur à nobis adverbium illud *formaliter*; quod fortaiſis adhibetur perperam, quoniam peccatum propria ſermonis conſuetudine non appellatur quidquid non poteſt, aut non debet vitari. Atque hæc ſunt, quæ duximus prænotanda.

CAPUT XIV.

Demonſtratur conſcientiam probabilem, qua talem, non eſſe ſemper certam, rectamque regulam morum.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. 4. & 5. Propoſitio 1. Probatur.
6. 7. & 8. Propoſitio 2. Probatur.
9. Oppoſitio cum ſolutione.
10. 11. 12. & 13. Probatur eadem ulterius.
14. & 15. Propoſitio 3. Probatur.
16. Adverſaria reſponſio, & ſolutio.
17. Ulterior probatio.

18. 19. & 20. Reſponſiones adverſariorum reſutantur.
21. & 22. Eadem propoſitio magis demonſtratur.
23. Propoſitio 4.
24. Uſque 29. Probatur.

PRÛSQUAM de opinionum conſictu diſquiramus, univerſim de *probabili* in ſe ſpectata diſſerendum eſt: cumque plures dentur probabilitatis

gradus juxta majorem, aut minorem auctoritatem, variaque rationum pondera, atque momenta, dicendum primo quid ſentiendum de probabilitate per-